

# **Urkundenbuch zur Geschichte der mittelrheinischen Territorien (Ed. Beyer) Nr. 251**

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Notum sit omnibus fidelibus tam praesentibus quam futuris: qualiter ego udo cum conjuge mea Gisla quandam precariam a venerabili abbatte Thietfrido fratribusque deo sanctoque Maximino deservientibus impetrare studii quam et ego obtinui Dederunt itaque mihi in pago bedensi in comitatu Otthonis per manum advocati eorum Warneri XII mansos in villa Buestedi dicta et basilicam tam in mancipiis quam in edificiis pratis pascuis cultis et incultis aquis aquarumve decursibus. Dedi vero eis econtra in pago Aiftensi in comitatu Herimanni quod et ipsi susceperunt per manum Grisonis advocati eorum quinque mansos in villa Gundelauinga dicta cum omni integritate tam in mancipiis quam in aedificiis silvis pratis pascuis cultis et incultis totum videlicet quod in supradicta villa haereditario iure possideo ea scilicet ratione ut usque ad terminum vite mee praedicteque coniugis mee Gislæ et quod dedi et quod accepi secundum precarium ius possideam; post obitum vero nostrum utraque in usum fratrum supradictorum redeant. Acta est hec traditio publice Treueris in ecclesia s. Maximini astante predicto abbatte Thietfrido cum omni congregatione coram testibus subnotatis: Lamberto Gozberto Humberto Hildrado Hasperno Warnero item Warnero Liutgaudo Wegezone Theoderico Bernacro Hugizone; item Lamberto Regimperto Anno incarnationis dominicae DCCCCLXXVIII indictione VI anno vero regni domni Otthonis XV imperii VIII.